

Objic. 2.^o Deus suam essentiam et attributa cognoscit prout sunt. Sed cognoscit in se plura, diversaque attributa; ergo distinguuntur formaliter a parte rei.

Resp. Dist. *min.* Cognoscit plura... virtualiter, seu equivalenter; conc. Plura formaliter; nego. Deus quidem cognoscit se omnipotentem, sapientem, aeternum... non quasi multas perfectiones, sed unam simplicem, quae omnia ista amplectitur, cognoscens: nos autem non possumus uno conceptu totam illam amplecti perfectionem, et ideo multis conamur.

Objic. 3.^o Diversa attributa, prout formaliter a nobis cognoscuntur, vel sunt in Deo, vel non: si non sint, conceptus nostri erunt falsi, et Deus non erit vere sapiens, potens, justus... Si sint in Deo, ergo et in illo formaliter distinguuntur, ut docet Scotus.

Resp. Dist. illud. Prout formaliter: quatenus hoc significat id, quod attributa, prout a nobis cognoscuntur, habent formaliter perfectionis; conc. quod sunt in Deo. Quatenus Prout formaliter, significat id, quod habent praecisionis, prout a nobis cognoscuntur; conc. alteram partem, scil. non esse in Deo.

Deinde, nego utramque consequentiam. Nam vere Deus est sapiens... quoad id, quod est formaliter perfectionis in his attributis: et vere in Deo haec non distinguuntur formaliter; quia licet in nostra mente una perfectio ab alia praescindat, in Deo ipso nulla praescindit, sed sunt simul una, simplexque perfectio. Neque proinde est falsa nostra conceptio, quia praescindit quod in Deo non praescinditur: quemadmodum visio non errat quia praescindit colorem a dulcedine pomi; neque gustus fallitur, dum praescindit dulcedinem a colore. «Abstrahentium non est mendacium», ut effato dicitur.

CAPUT III.

De Scientia Dei.

ARTICULUS I.

Quam habet Deus Sui Ipsius scientiam.

THESIS XXVI.

Deus habet perfectissimam scientiam, et in primis sui ipsius.

147. Utraque pars est fide certa. I.^a autem elucet ex dictis (1). Esse autem scientiam Dei perfectissimam, id est, in actu secundo, cum omnimoda claritate et certitudine et veritate, fluit etiam ex corollario ejusdem Theseos, tum ex aliis positis (2).

II.^a Pars probr. et simul prima confirm. 1.^o Nobis revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei (3).

2.^o Verbum, Filius Patris, procedit ex intellectu et sapientia Patris, eidemque aequalis. Sed, nisi seipsum Deus Pater perfectissime cognosceret, Verbum Filius non esset illi aequalis: ergo. *Majorem* ex tract. de *Trinit.* supponimus.

3.^o Deus est summa veritas, ideoque summe intelligibilis; est quoque summe intelligens; haec veritas et hoc intelligere, sunt summe unum in eodem actu simplicissimo: ergo summam et adaequatam seu comprehensivam scientiam habet Deus sui ipsius.

4.^o Athanasius (4) ait: Filium seu Verbum esse, «ipsam per se sapientiam, ipsam per se rationem, ipsam per se potentiam propriam Patris, ipsum per se lumen, ipsam per se veritatem... Denique ut breviter dicam, perfectissimus Patris fructus, solusque filius» et quam simillima imago ejus.»

Objic. Scientia est notitia causata ex principiorum cognitione. Sed in Deo nihil est causatum: ergo nec scientia.

Resp. Dist. *maj.* Causata materialiter, seu per accidens; conc. *maj.* Formaliter; nego *maj.* Formaliter enim est scientia cognitio

(1) Thes. IX.—(2) VIII, XI, XIV.—(3) I Cor. II, 10.—(4) Orat. contr. *Genes*, n. 46.

ordinis effectuum ad causas, proprietatum ad essentiam, conclusionum ad principia. Vide D. Thomam praeclare id declarantem (1).

148. **Corollarium.** Scientia Dei, qua se ipsum cognoscit, cum sit comprehensiva, terminatur ad omnia quae in ipso sunt, essentiam, attributa, personas, decreta libera, ipsam scientiam; et ita terminatur, ut quomodocumque cognoscibilia sint penitus cognoscat et videat. Actus autem talis scientiae est subsistens, seu ipsa substantia infinita Dei, ideoque nullam admittit vel compositionem, vel mutationem.

SCHOLIA.

§ I.

Status quaestionis.

149. In quolibet cognito objecto distingui solet *materiale*, quod pure *terminat* cognitionem; et objectum formale, quod movet seu *determinat* ad materiale. Ex. gr., credimus Deum unum et trinum; hoc est mentis objectum materiale: revelatio autem est motivum hujus fidei, ideoque objectum formale.

Haec *determinatio* fieri potest *physice* aut *quasi physice*, seu per physicum influxum actualem aut virtuales; et tunc id quod determinat intellectum est species, vel gerit munus speciei, ut supra diximus (2). Sic physice influit divina essentia in visionem beatorum; quasi physice, seu virtualiter, in divinum intellectum ut Personas intueatur.

Potest etiam *determinatio* fieri solum intentionaliter, seu per modum connexionis: ex. gr. adeo perfecte quamlibet essentiam et voluntatem intuetur Deus, ut sit antecedenter determinatus ad quoslibet liberos actus praecognoscendos, ideoque absque eorum influxu physico vel quasi physico: ita enim connexi sunt actus liberi cum divina cognitione, ut si futuri sint, cognoscantur necessario, etiamsi essentia et voluntas cum iisdem necessario non connectantur.

Duo ergo hac de re possunt inquiri: 1.º quod sit objectum formale, seu motivum scientiae Dei de se ipso; 2.º An sit physice vel quasi physice determinativum tale motivum; an vero intentionaliter tantum.

(1) P. I, q. 14, a. 1, ad 2.^m — (2) Scholion IV, n. 115.

§ II.

De motivo formali scientiae divinae.

150. A secundo dubio exordium facientes, scire oportet, communio opinionem docere, divinam scientiam habere objectum formale *quasi physice* determinativum: ita fere omnes thomistae nec non Molina, Suarez, Ruiz, et alii D. Thomae discipuli. Difficultas non levis, propter quam alii auctores contradicunt, huic objicitur opinioni; quod, nempe, intellectum divinum aliquatenus *in potentia* existentem concipiat, et specie indigentem: ideo ei adversari etiam D. Thomae sententia illa videtur (1): «Ipsa »species intelligibilis est ipse intellectus divinus, et sic se ipsum »per se ipsum intelligit.» Tamen eidem opinioni favet dum ait (2): «Species principalis intellecti in Deo nihil est aliud quam essentia »sua, in qua omnes species rerum comprehenduntur.»

Conciliari haec forsitan poterunt si dicamus; de intellectu divino aliter esse loquendum, dum consideratur materialiter, seu, prout est in se; et aliter dum ab essentia eundem per rationem formaliter distinguimus. Prout est in se, ipsa est Dei essentia et ideo per eandem plenissime perficitur et determinatur, quin aliqua alia indigeat *quasi physica* determinatione, seu specie. In hoc sensu loquitur D. Thomas in secundo loco. «In Deo intellectus intelligens »et id quod intelligitur et species intelligibilis et ipsum intelligere sunt omnino unum et idem» (3).

Quatenus autem intellectum divinum ab essentia distinguimus *quasi proprietatem* ejusdem; tunc, cum sit attributum divinum, debemus illum ut *actum purum* in sua linea, seu ratione, concipere; hoc enim postulat quodvis divinum attributum: proinde non potest tamquam specie indigens excogitari, seu determinatione *quasi physica*.

Aliunde autem tota ejusdem intellectus actuatio, seu perfectio, ab essentia dimanasse concipitur, veluti radice omnium attributorum: sub hac ergo ratione dicere oportebit, essentiam divinam esse *radicaliter* speciem, seu determinativum *quasi physicum* divini intellectus: *formaliter* autem ipse intellectus est sua species et sua determinatio, ideoque alia physica vel quasi physica non indiget determinatione, ut in priori sententia asserit Angelicus.

(1) P. I, q. 14, a. 2. — (2) Ibid. a. 5, ad 3. — (3) P. I, q. 14, a. 4.

§ III.

Quod sit motivum formale scientia Dei.

151. Superest primo loco indicata quaestio, quodnam sit, nempe, objectum formale, seu motivum *intentionale* divini intellectus?

1.^a opinio, valde communis, est Suarezii, Vasquezii, Scoti cum Scotistis, et fere omnium Thomistarum: divinam, nempe, essentiam esse solum divinae scientiae formale motivum.

2.^a autem cum Molina, Ruizio de Montoya, etc., non solum essentiam, sed etiam attributa absoluta et relativa, constituere formale determinativum, asserit.

3.^a dicit, omnia cognoscibilia, etiam creata, esse motivum intentionale et formale divinae scientiae.

152. **Dicendum I.** Si objectum formale tamquam determinativum *quasi physice* supponatur, non aliud divinae scientiae objectum motivum datur nisi Dei essentia: nam tota divini intellectus perfectio in sola essentia radicatur. Jam vero in hac hypothesis procedere videntur primae opinionis Auctores.

153. **Dico II.** Divinae scientiae formale motivum *intentionaliter*, non solum divina essentia, sed etiam attributa et relationes, imo et cognoscibilia creata, existunt.

Prob. 1.^o Illud est formale motivum cognitionis, quod est ratio objectiva propter quam est cognitio, qua cognoscitur res uti est. Atqui non sola essentia, sed etiam cetera cognoscibilia sunt ratio objectiva propter quam cognoscuntur uti sunt; ergo eadem sunt formale motivum. Prob. *min.* Eatenus essentia est ratio formalis motiva, quatenus est connexa cum attributis et ceteris cognoscibilibus. Sed attributa, et cetera cognoscibilia non minus, imo magis, connectuntur secum ipsis: ergo eadem sunt ratio objectiva cognoscendi.

2.^o Non tantum propter essentiam, sed etiam propter se sunt cognoscibilia attributa, relationes et omnia cognoscibilia. Sed intellectus divinus est determinatus ad cognoscendum quidquid est cognoscibile, secundum omnem rationem qua cognoscibile est: ergo non tantum propter essentiam, sed etiam propter se ipsa cognoscit attributa et omnia cognoscibilia... *Maj.* prob. Formalis et intrinseca ratio cognoscibilitatis est veritas: sed attributa, relationes et quidquid est cognoscibile, est intrinsece, seu propter se, verum: ergo sunt propter se cognoscibilia.

154. **Objic. 1.^o** Objectum formale determinans *intentionaliter*

cognitionem, est id propter quod adhaeret, seu quiescit in objecto intellectus. Sed solum adhaeret, seu quiescit, cognitio divina attributis, relationibus, ceterisque cognoscibilibus propter essentiam; ergo sola essentia est objectum formale. *Min.* prob. Ideo adhaeret mens divina attributis, ceterisque cognoscibilibus, quia sunt vera; ideo autem sunt vera, quia fundantur in divina essentia: ergo tandem propter essentiam adhaeret ac quiescit in his veritatibus divina mens.

Resp. Difficultas haec paralogismum exhibet, ex quo opposita ortum duxit sententia: confundunt, scil., auctores isti ordinem essendi cum ordine assentiendi; terminum formalem virtutis productivae vel *quasi* productivae, cum motivo formali potentiae cognoscitivae.

Unde concessa *Maj.* et negata *min.* probationem dist. et explico. *Ideo sunt vera* formaliter, quia fundantur in essentia; nego *antec.* *Ideo sunt vera* materialiter... conc. *antec.* Deinde disting. *consequens*: ergo tandem propter essentiam tamquam principium *essendi* adhaeret... divina mens, conc. *consequentiam*. Propter essentiam quasi *motivum assentiendi* adhaeret et quiescit in his veritatibus divina mens; nego.

Scilicet, nisi foret divina essentia fecunda, et dimanarent (suo modo) ab illa relationes, attributa et cetera cognoscibilia, rationem utique cognoscibilitatis, seu veritatis, quae soli competit enti, non haberent. Non tamen in hoc respectu dependentiae ad essentiam divinam ratio veritatis, seu cognoscibilitatis, consistit; verum in alia intrinseca, immediata et *sui generis* aptitudine, et in ordine objectorum ad mentem.

Objic. 2.^o Ratio *motivi* respectu alicujus potentiae, supponit aliquam indeterminationem in tali potentia ab illo motivo completam. Sed repugnat quaevis indeterminatio divini intellectus, aut quomodolibet eundem compleri nisi a divina essentia: ergo sola haec motivum formale divinae mentis esse potest.

Resp. Dist. *maj.* Supponit indeterminationem physicam vel intentionalem, subjectivam vel objectivam; conc. *maj.* Physicam tantum, et subjectivam; nego.

Ad *min.* Repugnat indeterminatio physica et subjectiva divini intellectus; conc. Intentionalis et objectiva; nego minorem.

Enimvero, divinus intellectus est physice et subjective prorsus determinatus ad verum quodcumque intelligendum, idque solum a divina essentia quasi specie (radicali) habet. Objective autem et intentionaliter determinat quaevis veritas, sive creata, sive increata, divinam cognitionem: si enim ponatur quaevis veritas, cognoscitur; si non supponatur, non cognoscitur. Ergo determinatio objectiva et intentionalis cuilibet veritati convenit.

THESIS XXVII.

Deus cognoscit se ipsum in se ipso, et in creaturis.

155. *Nota* I. Cognoscere unum *in alio* indicat illud *aliud* determinare cognitionem, seu primario cognosci et esse rationem cognoscendi alterum.

II. Disputatur inter AA. utrum videat Deus in essentia attributa et relationes, et è contra, in relationibus essentiam; vel potius omnia immediate et directe tantum cognoscat, non vero unum in alio. Quid autem sentiendum, poterit ex secunda parte theseos deduci.

I.^a Pars prob. Deus in se ipso est summe cognoscibilis et suo intellectui intime, immediate, imo identice conjunctus seu praesens: sed non ita esset si tantum se cognosceret *in alio*: ergo se ipsum in se cognoscit. *Maj.* patet; quia Deus est suum intelligere per essentiam (supra, n. 20).

II.^a Pars prob. Creatura, perfecte cognita, est ratio seu determinatio cognoscendi Deum. Sed Deus perfectissime cognoscit creaturam: ergo in creatura se cognoscit Deus. *Maj.* prob. Nequit haec veritas cognosci, *creatura est a Deo, creatura pendet a Deo*, quin Deus cognoscatur. Atqui cognitio perfecta creaturae est ratio seu determinatio, cognoscendi quod *est a Deo, pendet a Deo*: ergo creatura perfecte cognita est ratio Deum cognoscendi. *Min.* patet: nam creatura habet intrinsecam dependentiam a Deo.

Confirm. D. Thomas (1) ait: «Ex parte cognoscibilium potest »quidam circuitus in Eius (Dei) cognitione inveniri, dum scilicet »cognoscens essentiam suam, alias res intuetur, in quibus suae essentiae similitudinem videt, et sic quodammodo ad suam essentiam redit, non quasi suam essentiam ex rebus aliis cognoscens.»

156. *Objic.* 1.^o Cognitio Dei in creaturis est cognitio abstractiva. Sed haec Deo repugnat: ergo non cognoscit se in creaturis. *Maj.* prob. Cognoscere unum objectum in alio, est cognoscere per speciem alienam. Sed cognitio quae fit per speciem alienam est abstractiva: ergo cognitio Dei in creaturis est abstractiva.

Resp. nego *maj.* Ad probationem autem dist. *maj.* Cognoscere unum objectum in alio, ut cognoscunt creaturae, est cognoscere per speciem alienam; conc. *maj.* Ut Deus cognoscit; nego.

Nam intellectus creatus compleri debet ad cognoscendum, ideoque si in uno objecto aliud videat, per speciem alienam videt: intellectus autem divinus ex semetipso est plenissime determinatus,

(1) Q. 2, de Verit. a, 2, ad 2.

ut in quolibet objecto omnem ejusdem habitudinem et intrinsecum terminum videat.

Objic. 2.^o D. Thomas ait (1): «Deus se ipsum tantum cognoscit in seipso.» Resp. Dist. et explico: *In se ipso* tamquam specie, seu quasi physice determinante; conc. Tantum in se ipso, ut intentionaliter determinante; nego. In primu sensu loquitur S. Doctor: «Duplici modo aliquid intelligitur: uno modo in *se ipso*, quando scilicet ex ipsa re intellecta formatur acies intelligentis.» Ad rem faciunt quae alibi (2) docet: «Quidam dicunt, quod »quamvis Pater videat in Verbo creaturam, non tamen ibi videat se »ipsum, imo in se videt se. Non tamen video causam, quare sicut »per modum praedictum creaturam in Verbo videt, quae ibi re- »cet, non multo magis se ipsum videat, qui perfectissime in Verbo »repraesentatur: et sic etiam non est inconveniens, quod per modum istum in creatura se videat, quae ipsius divinae bonitatis re- »praesentativa est per imaginem vel vestigium.»

COROLLARIUM.

157. *Dico*: Deus omnia praedicata divina tum absoluta, tum relativa, in sua essentia et in se ipsis videt, et in ipsis essentiam.

Pars prior patet: quia essentia divina ab intrinseco est fundamentum necessarium omnium suarum proprietatum: ergo cognosci nequit essentia comprehensive quin cognoscatur tale illam esse fundamentum. Atqui cognosci non potest fundare essentiam tales proprietates, quin eadem cognoscantur: ergo omnia sua praedicata in essentia videt.

II.^a 2.^o Pars, probr. Omnes divinae proprietates sunt per se et ab intrinseco verae; ut patet; nec non formale motivum intentionaliter divinae scientiae; ut dictum in Schol. III praecedentis Theseos: ergo in seipsis omnes videt.

III.^a Pars elucet ex II.^a Parte Theseos.

ARTICULUS II.

De scientia divina creaturarum possibilium.

THESIS XXVIII.

Deus cognoscit omnia possibilium tum in divina essentia, tum directe in se ipsis.

(1) De verit. q. 2, a. 3, ad 1.—(2) In 1, dist. 32, q. 2, a. 1, ad 4.^m

158. **Nota I.^o** Duplex est sententia de praesenti quaestione: prima cum D. Thoma, Suarezio, Ripalda, etc., est, in divina essentia cognosci possibile: secunda negat, putans in se ipsis tantum cognosci possibile a Deo posse; ita S. Bonaventura, Scotus, Aureolus, Vazquezus, Becanus, etc. Probabilius putamus Deum utroque modo possibile dignoscere.

Nota II.^o Duplex est esse creaturae possibile; esse proprium et formale, et esse eminens seu in causa sua. Esse proprium et formale est illud, quod haberet creatura possibile *si fieret*: esse autem eminens, est illud quod in Deo habent, quodque participant seu imitantur, *si fiant*. Agimus in Thesi de esse formali, non vero de *eminenti*

159. Pars I.^a Probr. 1.^o S. Dionysius (1) testatur, ut supra vidimus: «Se ipsam divina Sapientia sciens, scit omnia.» (n. 130).

Augustinus autem; (2) «Manet ista sententia, ut id quod per ipsum factum est, vita esse in illo intelligatur, in qua vita vidit omnia.»

D. Thomas etiam (3): «Non Deus perfecte se ipsum cognosceret, nisi cognosceret quomocumque participabilis est ab aliis sua perfectio. Nec etiam ipsam naturam essendi perfecte sciret, nisi cognosceret omnes modos essendi. Unde manifestum est, quod Deus cognoscit omnes res propria cognitione, secundum quod ab aliis distinguuntur.»

2.^o Confirm. ex dictis supra (4) quod, scil. in divina essentia vident beati creaturas: nam Deus necessario cognoscit quicquid est cognoscibile, et omni modo quo cognosci potest.

160. Pars II.^a constat ex probatis (5). Eatenus enim in divina essentia videri possunt creaturae, quatenus illa est formale motivum intentionaliter intellectus: atqui convenit hoc etiam creaturis: ergo etiam illas in se ipsis cognoscit.

Confirm. Futura contingentia libera, sive absoluta sive conditionata, cognosci non possunt ex eo quod eorum determinata existentia in divina essentia contineatur, verum in se ipsis a Deo cognoscuntur: atqui possibile non sunt minus apta ad terminandam directe seu in se ipsis, divinam scientiam, quam contingentia libera: ergo et illa in se ipsis videt. *Maj.* infra probabitur.

161. Objic. 1.^o Ait D. Thomas, supra: «Alia autem a se videt (Deus) non in se ipsis, sed in se ipso.» Augustinus etiam, ibidem, ait: «Et sicut vidit, ita fecit: non praeter se ipsum videns, sed in se ipso ita enumeravit omnia quae fecit.»

(1) *De div. nomin.* c. 7;—(2) *De Genes. ad litt.* l. 5, c. 15.—(3) *1. p. q. 14, a. 6.*
—(4) *Thes.* XXI.—(5) n. 153.

Resp. Dist. et explico: «Non videt alia in se ipsis, non praeter se ipsum.» quatenus visio Dei non determinatur per alia tamquam per speciem, id est, physice vel quasi physice perficientia (1); conc. Quasi alia nequeant determinare intentionaliter visionem Dei; nego.

In priori tantum sensu locutos S. Augustinum et Divum Thomam elucet ex contextu: Augustinus ait (ibid. c. 13.): «Nam si extra ipsum ea noverat, quis eum docuerat? aut quis prior dedit illi et retribuetur ei?» Et D. Thomas: «Ea quae sunt alia a Deo, intelliguntur a Deo, in quantum essentia Dei continet species eorum; unde non sequitur quod aliquid aliud sit perfectio divini intellectus quam ipsa essentia Dei.»

Inst. Si ad alia videnda in se ipsis sufficeret, quod determinaretur intentionaliter ab eisdem Scientia Dei; non negasset D. Thomas, Deum alia in se ipsis cognoscere: ergo sola intentionalis determinatio sufficere non videtur. *Ant.* patet: nam determinationem pure intentionalem scientiae divinae ab objectis creatis admittit D. Thomas (2); ad explicandam enim Dei *certam* scientiam futurorum contingentium, ab eorum objectiva praesentia determinari asserit.

Resp. Dist. *ant.* Non negasset D. Thomas Deum alia in se ipsis cognoscere, ut intentionaliter tantum determinantibus; conc. Ut perfecte determinantibus; nego. Scilicet, ibi non explicat D. Thomas pure et praecise modum objectivum videndi alia in se, sed simul perfectionem subjectivam mentis ad id requisitam; quae ex eo quod videtur *in se* desumitur a creato intellectu, a divino autem minime, sed è divina tantum essentia. Imo et aliam imperfectionem objectivam intellectus creati ab intellectu divino excludere voluit. Nam quod videmus *in se*, «per speciem propriam videmus *adaequatam ipsi cognoscibili*, sicut oculus videt hominem per speciem hominis: *in alio* autem videtur id quod videtur per speciem continentis, sicut cum pars videtur in toto per speciem totius.» Ex quibus sequitur, quod videns hominem, illum in se videt, quia species qua videt est *adaequata*; faciem autem ejusdem in se ipsa non videt, quia species qua illam videt est *inadaequata*, id est, non ad solam faciem definita, sed ad totum terminata hominem. Jam vero cum hisce limitibus et imperfectionibus nullam in se ipsa rem creatam a Deo videri planum est: oriuntur enim ex intellectu creati nativa deficientia. Quod autem creaturae possibile, *omnes et simul*, imo et cum divina essentia, a qua pendent, quae imitantur et participant, in se seu immediate repraesententur

(1) *Supra*, n. 126.—(2) *P. 1, q. 14, a. 13.*

in divino intellectu, intrinsece et infinite cognoscitivo, nullam prae se fert imperfectionem; ut patet in cognitione certa futurorum contingentium, ex quorum aeterna praesentialitate determinatur in Deo, ut infra confirmabitur.

Objic. 2.^o Quod non est, sed esset; non est cognoscibile, sed esset. Atquiabilia non sunt in se, sed essent si fierent; ergo non sunt cognoscibilia.

Resp. Dist. *maj.* Non est cognoscibile ut *absolute existens*; conc. *maj.* Ut *existens conditionate* seu potens existere; nego majorem.

Et dist. *min.* Non sunt in se *absolute* existentia; conc. *min.* *Conditionate*; nego *minorem*.

Nam potentia nec dicitur, nec concipitur, nisi ad actum: actus autem quemabilia respiciunt est eorum *esse* seu existere, quod haberent, si determinarentur seu fierent; hoc enim ipsum *esse*, quod habent si fiant, erat possibile antequam haberent.

Nota. Objectiones in I^m. partem praeoccupatae supra (1).

SCHOLION.

De connexione Dei cum possibilibus.

162. Praecedens quaestio cum alia, quae a praeclarissimis AA. pro utraque parte versatur, conjungitur.

Nota 1.^o Illa dicuntur connexa, quorum unum sine alio existere non potest; sicut visio, qua Deus videt existere mundum, et actio, qua formaliter creatur mundus, nequeunt esse sine existentia mundi.

Connexio erit *logica*, *metaphysica*, *physica* aut *moralis*, quatenus impotentia ista erit logica, metaphysica seu naturalis vel moralis.

Nota II.^o Censent aliqui AA. idem esse Deum connecti cum possibilibus, ac dari relationem transcendentalem inter Deum et possibile; alii autem, ut Suarez, etc. idem non esse putant. Id metaphysicis explicandum tradimus. Vide Suarez, *Metaphy.* D. 47. Sec. 15.

Nota III.^o prima sententia cum Vazquezio, Conink, Oviedo, etc., connexionem Dei cum possibilibus rejicit. 2.^a cum Suarez, Molina, Valentia etc., et thomistis communiter, connecti Deum acabilia defendit.

163. **Dico:** Deus metaphysice cum possibilium possibilitate est connexus.

(1) Thes. XXI.

Prob. 1.^o Non est perfecta potentia, quae ex se non est absoluta, neque efficax. Atqui potentia non connexa cum possibilitate effectus, non est ex se absoluta et efficax: ergo Deus per suam perfectissimam potentiam est connexus cum possibilibus.

Maj. patet: nam potentia quae ex se non sit efficax et absoluta, ab extrinseco complenda est.

Min. prob. Potentia absoluta et efficax ad aliquid impossibile, est quid inane et contradictorium: ergo potentia *ex se* absoluta et efficax, *ex se* excludit impossibilitatem effectus, seu est connexa cum effectus possibilitate.

2.^o Deus est connexus cum sua essentia physica, id est, cum omnibus attributis suis (1): atqui divina scientia, quatenus attributum absolutum et necessarium, connectitur cum possibilibus; ergo et ipse Deus est cum iisdem connexus.

Min. prob. Deus per scientiam absolutam et necessariam cognoscitabilia, et se habere potentiam absolutam et efficacem ad ea in actum reducenda: atqui siabilia deficerent, talis scientia non existeret; ergo divina scientia connectitur cum possibilibus.

3.^o Nequeunt deficereabilia, nisi id deficiat in quo fundantur. Sedabilia fundantur in essentia divina; ergo essentia Dei est connexa cum illis.

Min. prob. In eo fundanturabilia, in quo fundatur *esse* quod habere possunt: sed *esse* quod possunt habereabilia, in Dei essentia unice fundatur; ergo etabilia. *Min.* clare patet; nam *esse*, quod habere possuntabilia, in unico ente necessario continetur.

Maj. etiam constat: namabilia non sunt talia, nisi quia illud *esse*, quod respiciunt, est verum *esse* et non chimaera; impossibilia autem per respectum constituuntur ad *esse* et *non esse* simul.

Confirm. Hoc ipsum *esse*, quod habet Petrus, erat *possibile* ab aeterno, et non aliud; si hoc ergo *esse* Petri foret impossibile, et Petrus eo ipso foret impossibilis; ergo in eo fundanturabilia, in quo fundatur *esse* quod habere possunt.

4.^o Deum non peccare, non mentiri, non facere injustitiam est quoddam possibile: sed Deus connectitur metaphysice cum tali possibili; ergo et cum omnibus, quia non minor est difficultas pro uno, quam pro ceteris.

Maj. patet: nam sicut *Deum peccare* et *mentiri*, etc. est quoddam impossibile distinctum ab hoc; *Deum non esse*; quia termini repugnantes sunt diversi; ita *Deum non peccare*, distinguitur ab hoc possibili, *Deum esse*.

(1) Supra Thes. XXII.